

De abortu : dissertatio inauguralis medico-obstetrica ... / auctor Franciscus Marggraff.

Contributors

Marggraff, Frank.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s279yxkt>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16

DE
A B O R T U.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - OBSTETRICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE I. M. JULII A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
FRANCISCUS MARGGRAFF
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. GOECKE, med. et chir. Dr.
A. VILTER, med. et chir. Cand.
R. TEGNER, med. et chir. Stud.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.



A B O R T U.

DISSENTATIO

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

PARENTIBUS
OPTIMIS, DILECTISSIMIS
USQUE AD CINERES SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO

Voces abortus, aborsus (1), affluxio, partus immaturus, apopallesis, apopalsis, ἐκτροσις, ἀμβλωμα, ἀποθορά, διαφθορά, ἔκτρομα, ἐξάπλωσις, avortement, fausse couche, abortion, alii synonymas, alii plane inter se esse diversas contenderunt. Prae ceteris tamen abortus plane est distinguendus a partu praematureo, cum partum esse abortum dicimus, si embryo vel foetus, qui vivere nondum potest, ex corpore materno prodiit; praematurum autem, si foetus sexm jam graviditatis mensem transgressus est, ideoque per se vivere potest. Quicunque tamen anteaustum tempus accidunt partus, ex spatio, quod inter conceptionem et partum interest, discernendi sunt. quod jam Hippocrates, clarissimus ille antiquorum medicorum, et acutissime et distinctissime discernovit memoriaeque prodidit. Ille semen ante conceptionem exire dixit et hoc, quod ἐκκρίσεις nominavit, intra septimum post coitum diem fieri. In libro suo, quem de partu mense septimo accidente inscripsit (2), quae sequuntur dixit: Dies praeci-

(1) Cfr. Nonius ap. Lobeck, ad Phrynich. p. 209.

(2) Vol. I. pag. 457.

pui sunt et primus et septimus, magni momenti morbis et infantibus plurimos enim abortus (τρωσμοὺς) his diebus prodire, tamen ἐκβολαίς neque vero τρωσμοὺς vocari. Tum Aristoteles foetum primis mensibus expulsus aborsum nominat. Recentiores vero scriptores, quorum unum Velpeau afferre liceat, ullam interesse differentiam negaverunt, neque aliud nisi foetum aut maturum aut immaturum agnoverunt. Quamvis vero fieri non bene possit, ut immaturum foetum ex diversis graviditatis periodis inquiramus, cum et causae et aspectus et effectus convenient omnia, aliquid tamen interesse mihi videtur, ut illos secundum mensium numerum distribuamus.

I. Partus fit a primo usque ad tertii mensis finem, quippe quo tempore membrana uteri decidua sit firmissima et cum uteri vasis cohaereat, quo igitur placenta nondum est formata. Hunc partum abortum appellare liceat.

II. Partus vero immaturus est partus, qui intra quartum mensem ac septimum supremum accidit, quo tempore placenta non modo est formata, sed quovis mense et incremento et extensione augetur. Hos partus mitiores sequuntur dolores et multo minor sanguinis effusio.

III. Tum partus praematurus is appellandus est, qui intra mensem octavum et nonum medium prodit, cum placentae incrementum et cohaerentia cum utero minuitur, et foetus, etiam a matre disjunctus, vitam agere potest. Qui partus minimi sunt periculosi, nec non cum paucioribus doloribus

t laboribus conjuncti, sanguis quoque ante ejiciendum foetum non saepe prorumpit; enixus est brevis spatii, citissimeque consequitur saepe causam efficientem.

Interdum vero partus, si aliquot hebdomadibus citius opinione acciderit, morbosus et falsus sit, necesse non est, etiamsi et gravidam et medicum admiratione afficiat, dummodo foetus plane sit excultus et partus ipse facile citoque contingat. Quartus non tam inde evenisse videntur, quod gi-
nendi nutriendique impetus in graviditate re aliqua valde adjutus sit; sed hae res adjuvantes, quibus actoribus foetus aliis annis alio tempore mature-
at, saepe non ita clare et dilucide sunt perspicien-
ae et deducendae. Calidissima illa anni 1811 ae-
as (de Siebold), qua plurimos et agrorum et
ortorum fructus solito longe prius maturatos, immo
allinarum ova prius excubita esse inter omnes con-
at, admirabili est documento.

Quod ad graviditatis tempus, quo abortus acci-
t, attinet, incerta tantum memoriae prodita sunt.
ippocrates primos 40 dies ad abortum efficiendum
maxime ait idoneos. In libro, quem jam commemo-
vimus (1), primos quadraginta dies dixit plurimum
lere ad fructus. Quod si fructus hos dies trans-
essus esset, illum non amplius abortivum fieri
esse, quaecunque res interesset. Tametsi recen-
res scriptores non eadem sentiunt, tamen Hip-
ocratidis opinionem eo esse veram probaverunt,

(1) vol. I. p. 452.

quod et ipsi primos tres graviditatis menses eo esse credunt, quibus plurimi abortus accidunt. Cfr. **Burdachii** physiologiam vol. III. pag. 11. et **Velppeau** traité complet de l'art des accouchemens vol. I. pag. 387. Quum tertio et quarto mense placenti excolatur, abortus fit rarius; septimo vero graviditatis mense idem saepius accidit. Quoniam autem hoc tempore foetus ad vitam propriam degendam aptus fit, ut abortu plane deleatur necesse non videtur.

Quibus rebus sexus abortu editorum constituitur, eae non tam certae sunt, praesertim quum primis mensibus omnino sexus non facile cognoscatur. **Morgagni** et **Desormeaux** plus femineos quam masculos foetus abortu ejici putant, id quod **Lachapelle** et **Velppeau** valde repudiant.

Rieckio auctore sexus infantium in immaturis et praematuris partibus paene eandem quam omnino partus rationem habet.

ABORTUS SYMPTOMATA.

Quum abortum ex omnibus partibus contemplari nobis proposuerimus, supervacaneum non videatur, notas, quas usitatissimo nomine symptomatum nuncupare nobis liceat, cognoscere, quibus abortus indicetur. Haec tamen symptomata ab iis omnino sunt secernenda, quae abortum vel comitantur, vel consequuntur, id quod ad therapeuticen plurimum valet.

Quando abortus propria vocis notione fit, ejus prodromi saepe maxime exigui et quidem eo magis

exigui, quo maturius idem evenit. Abortus, qui post quartum vel septimum graviditatis mensem procedit, se propriis adspectibus denuntiare solet, qui illis partus normalis haud dissimiles dici possunt; serius autem exoriuntur etiam illa signa, quae partum normalem indicant.

Indices abortus imminentis vel partus immaturi sunt: horripilatio, horror et frigus in extremitatibus, cum tremore conjunctum, universus languor, debilitas totius corporis, praecipue graviditate quadam in extremitatibus comitante, prostratio virium, saepius etiam vertigo, syncope, cephalaea, breves somni et dem per somnia gravia tumultuosi, pallor, oculi caligati, lividis annulis circumdati, repentina cessio anteriorum corruptorum graviditatis statuum, appetitus defectus, lingua oblecta, spiritus male foetens, diarrhoea, tenesmus aut obstructio, imprimis languentes et flaccidae mammae. Respiratio est anxiosa, palpitatio cordis aegrotam inquietat. Simul etiam graves molestiae in abdomine existunt. Gravidam queritur de frigore in eodem et gravitate, de audentibus lumborum doloribus, qui usque ad femora pervadunt. Impetus etiam in vesicam urinariam animadvertitur et crebra quaedam urinae libido. Abdomen collabitur et emollescit; uterus globosus minuetur et in variis statibus modo in hanc, modo in illam partem se inclinat. Quae primaria signa foetus emortui ducenda sunt una cum deficientibus infantis motibus et cessante in placenta pulsatione. Praeter haec emanationes evadunt ex vagina, in quibus haemorrhagiae, phlegmatorrhoea et effluvium liquo-

ris amnii numeranda sunt, sicuti dolores partus. Quibus de morbi signis ab nonnullis auctoribus diverse judicatum est. Plerumque haemorrhagiam doloribus antecedere scimus; primum apparent nonnullae sanguinis guttae, sed haud multo post sanguinis effluvium augetur, ut interdum non solum sollicitudinem afferat, sed etiam gravem curandi modum efficiat. Neque vero omni abortui sanguinis effluvium praecedere, nec tum, quando etiam in graviditate haemorrhagia exstiterit, semper abortum consequi constat. Abortus quidem fere semper necessitatem distractionis ovi ab utero imponit; haec vero, quum contractionis facultates uteri jam optimae excultae et conformatae sunt, non semper haemorrhagiam efficiet. Quod sanguinis effluentis generis nisi mechanica ratione effici non potest, atque plerumque tum evadere solet, quando causae permoventes vim habent in ovi repentinam et violentam distractionem. Majoris momenti apparet alterum haemorrhagiae genus, quod magis in dynamicis rationibus fundatum videtur. Crebro primis graviditatis mensibus violentam metrorrhagiam abortus antecedere animadvertimus, quamquam ovi conjunctiones inferiores sunt, quam ut ejus distractione haemorrhagia explicari possit; imo etiam, auctor Burns, actus graviditatis impediri potest, antequam fructus in uterum pervenerit, ubi ergo membrana decidua exorta est. Quod si acciderit — e primis post conceptionem hebdomadibus evenire solet — symptomata fere paria iis nominanda sunt quae metrorrhagiam sequuntur. Plerumque hic san-

guis abunde evacuatur et in concreta flocculenta se mutare potest. Quibus haemorrhagiis exceptis, exemplis etiamsi haud multis confirmare possumus, per graviditatem menstruationem non cessare; praeterea ex vagina sanguis effluit atque etiam ex uteri partibus cum ovo non conjunctis.

Ex effluvio liquoris amnii certissime abortum imminuentem cognoscere, si liquores ipsos percipiendi data sibi esset potestas. Attamen multis exemplis docetur, artem saepius abortum optime prohibuisse, sive distractae membranae iterum se conunxerint, cui quidem rei fidem habere non possumus, sive fortasse allantois aspectus incipientis pariendi actus commoverit.

Dolores in utero a colicis aliisque doloribus eade sua et eodem tempore haemorrhagia, quamquam haud facile, discernendi sunt; praeterea verum doloribus conjunctos cognoscimus menses, apud quos dolor sanguini antecedit, dum apud abortum est contrarium. Quibus doloribus omnino deficientibus abortus evenire potest, quin uteri contractiones tanti sint momenti, ut in dolores convertantur. Manuali inquisitione certissime abortus cognosci potest, cujus vero symptomata tum demum perspicua evadunt, quando abortus jam ita est progressus, ut in omni temporis puncto ejus finis sit expectandus. Praeterea hanc investigationem plerumquemittere praestat, praesertim quum non pro certo habeas, abortum evenire, sed periculum modo imminere, quod praepropera manuum agitatione augeas. Haud desunt observationes, quibus docetur, jam in-

cipientem partum, qui ex dilatatione orificii uteri, ex impetu fructus in collum uteri et praecipue ex vesicae impulsu cognosci poterat, se retulisse et abortum repulsum esse.

Eventus imminentis abortus, partus immaturi et praematuri varius est; vel aspectus evanescent, qui eum indicare videbantur, vel ovi ac foetus defluvium evitari non potest, praesertim quum proprius liquor amnii effluxerit, ovum aut placenta plerumque disjuncta et foetus sit mortuus.

Abortus e graviditatis tempore et ex ovi statu maxime pendet. Tribus primis mensibus, quibus placenta nondum est conformata, ovum fere semper natura ipsa agente integris membranis abit. Sed placenta jam exculta, rarius ovum integrum ejicitur, nam saepissime divelluntur membranae, foetusque, nisi locus est impedimento, per ipsam naturam expellitur, qui partus secundus eo serius perficitur et ejectioni eo majora sunt adjuncta impedimenta, quo longius graviditas a constituto parturae tempore abest.

Mirandum sane est, abortus omnino saepius fieri apud homines quam apud animalia mammalia; nam menses, qui certis periodis redeunt, qui tamen animalibus omnino non aut non eodem modo proprii sunt, apud feminas graviditate interrupti uterum ratione quadam commutant; tum erecta quoque mulieris forma, magnusque consensus, qui gravidae intercedit inter uterum ceterasque partes, mulieri, ut ita dicam, praedispositionem quandam abortus praebere videntur.

ABORTUS CAUSAE.

Causae, quibus abortus efficiuntur, variae sunt itaque diversae, ut fieri non possit, quin in ordinem quendam redigantur.

I. Primae causae vel ex matre pendent vel in illam vim exercent.

II. Alterae ex foetu nascuntur.

III. Postremae externis momentis procreantur.

Quarum causarum jam Hippocrates quadraginta invenit, quas Ritgen ex ejus scriptis ita collegit: Foetus emortuus, partus putridus, debilitas et partus morbus, imperfecta partus nutritio, vis foetui illata, laceratae ovi membranae, tenues menses ante graviditatem, prima graviditas, tempora graviditatis, nimia gravidarum juvenus, arida denique corporis constitutio, macies, animi deliquia, debilitas, mala nutrimenta, fames, ciborum fastidium, chlorosis et hydrops, haemorrhagia, menses aut accidentales aut non cessantes, leucorrhoea, galactorrhoea, diarrhoea, tenesmus, obstructio, usus remedium abortivorum, acrium et acerborum usus remedium, nimius alimentorum abusus, animi affectus, convulsiones, dyspnoea, tormina, coxalgia, uteritis et quidem metrorrhagia, dilatatio orificii uteri, hydrometra, permagna firmitas et brevis uteri, inuratio, laevitas gravidi uteri, impedimentum membranaceum in utero, febris, omnino gravidarum morbi, labor ultra vires, mechanica momenta, quae ad graviditatem pertinent, denique anni temporum potestas et tempestatis et frigoris.

Quae ita admonuit Hippocrates, haec omnia recte sese habent; et quamvis explicandi genus nobis non semper placeat, tamen rectissime omnia perspexit.

Nos tamen nostrum ordinem sequentes sic pergamus.

I. Abortus causae ab organismo materno petendae.

Mulieres, quae jam semel abortum fecerunt, iterum gravidae fere eodem quo primum tempore ad abortum inclinant, id quod quaque graviditate valde augetur. Quae abortus causa ab El. de Siebold appellatur consuetudinis vis. Typo facillime assuescit natura, et quae ovo citius evulso interdum in utero remanserunt ulcera, indeque ortae cicatrices, fortasse reliquiae quoque ovi remanentes praedispositionem adjuvare videntur. Hoc abortus genus, quod paene ex se ipso nascitur, ab illo certis periodis ex quibusdam causis ortum capiente plane discernendum est. Prior ille ex eo praecipue oritur, quod graviditatis actio semel interrupta ne insequentibus quidem graviditatibus longius procedit. Periodicus abortus inde fieri solet, quod organice vel mechanice, ut his verbis tritissimis utamur, sequentes graviditatis progressus impediuntur. Nimis intenta irritabilitas omnium nervorum, quam ob causam quaevis externa vis, quum uteri quoque nervi sint maxime intenti, ut se contrahat facillime, efficit, et plethora sunt saepissime abortus causae. Ple-

nora quidem nimia cietur abortus, copia sanguinis
et genitalia fluente.

Tum inter dynamicas abortus causas magnus
infirmarum matrum valetudinum numerus relatus
est. Qui tamen morbi in genitalibus sedem non ha-
bent, in provocando abortu haud multum valent.

Alia abortus causa est magna corporis infirmi-
tas, qua foetus minime perfecte nutritur et ovum
imperfecte tantum excolitur, ubi nihil refert, num haec
firmitas universali valetudinis et corporis statu,
an per vitam morbo vel vulnere corporis, an in
aviditate demum aut deficiente alimento aut aliis
momentis provocata sit. Maximi vero momenti est,
inter ceteras abortus causas ad diarrhoeam aliquanto
propius accedere. Etsi multi medici, quominus alvi
injectioni gravidarum bene consulerent, abstinuerunt
timore commoto, ne abortum semper efficiant, diar-
rhoea tamen modo ea conditione abortum parare
potest, ut cum irritatissimo statu tractus intestino-
rum, qui per consensum in uterum se confert, con-
necta sit. Tantum vero abest, ut diarrhoea medico
evitanda sit, ut obstructio maxime sit temnenda,
quippe quae uterum dynamicè et mechanice multo
magis irriteret. Si igitur dulcia purgantia adhiben-
tur, quae partibus minime irritatis effectum habent,
abortus fiat, nunquam est timendum. Feminae,
quae irregulariter menses suos habent, quibus san-
guinis mensium nimis aut magna aut parva copia ef-
ficatur, quae aut nimio aut nullo coitus appetitu utun-
tur, saepissime ad abortum praedispositae sunt.
Et gravidarum aetas minimum valet; prima gravi-

ditas nimia aut senectute aut juventute gravis est causa, itidem conceptio vel brevi ante vel inter menstruationem facta, menses inter graviditatem copiose fluentes, nimis aucta mammarum vis indeque ortae lactis secretiones, et graviditas inter lactationem inita. Facillime autem animi quoque motus et vehementer et lente excitantes, prae ceteris terror, ira, stomachus, dolor, moeror, sollicitudo abortum secum ferunt. Burns causam abortus dixit uteri magnam efficaciam; si quidem ceterae corporis partes non cedunt, uterus illum efficere non potest, sed ubi cedunt facilius efficacia mox in extravagantem viam aberrat. Si genitalia vel adjacentes partes non sunt quantopere tantopere par est excultae, abortus vix vitatur, quoniam morbi uteri, inflammatio, haemorrhagiae, degeneratio, relaxatio, fibrarum rigiditas, convulsiones, deformitates, scirrhus, steatoma, sarcoma, polypus, hydrometra, organicae mutationes tubarum Fallopii et praecipue ovariorum, lentitia latorum uteri et rotundorum ligamentorum, denique tumores, per magna vesicae extensio, calculi vesicae, herniae.

II. Abortus causae in foetu ipso positae.

Velpeau auctore abortus plerumque ovi morbos insequitur; sicut fructus, qui, antequam sese omnino expanderunt, pallescunt et ab plantis se discernunt, ovum etiam animalium, simulac vivere desinit, ab utero emitti solet. Inter anomalias fructus tanquam abortus causae vel eae referendae esse mihi videntur, quae foetum et nutriendum et exco-

endum, ideoque etiam normalem graviditatis progressum commorantur; vel eae, quae ad uteri contractiones proxima, ut ita dicam, et mechanica ratione vim habent. Ad priores referas foetus mortem; quia facta fructum et alienum corpus in uterumingere neque multo post abortum consequi poteris animadvertere, quamvis nonnunquam illum etiam tardari non sit infitiandum. Foetus morbos et deformitates, ut hydrocephalum, hydropem ascitem, hydrothoracem, inflammationem abdominis, convulsiones, cordis polypos, inopiam cerebri et cranii sium, geminos concretos plerumque abortum subsequi constat. Ovi membranis in morbos incidentibus, chorio densando, amnio pariter commutando, incipiente vel jam perfecta desorganisatione ovi eoque convertendo in molam, tumoribus in interiore matricis parte excitatis, eorumque induratione in officio uteri, quominus fructus juste excolatur, saepe impeditur et abortus tum apparet. Praeterea varia illa liquoris amnii qualitas et anomalia, quum hujus liquoris quantitatem spectas, in abortus causis enumerandis omnino non sunt intermittendae. Saepius liquor amnii nimis acer vel nimis admodum aptus esse potest, qua ex re maxima in utero mala redundant. Quando istius copia est nimis, uterus non semper extensionem sustentare potest et ad contractiones suscitatur; et quum ovi membranae nimis tenues, facile dirumpuntur atque abortus anomala ruptura velamentorum foetus suscitatur. Magna inopia liquoris amnii foetus parum vehementius cum interiore uteri superficie col-

liduntur, quibus motibus eam excitant et ad contractiones impellunt tali modo, ut abortus inferiore graviditatis aetate itidem contineatur. Vitia funiculi umbilicalis diversa ratione abortus causae animadverti possunt, quum imperfecta ejus formatione nutritio foetus impediatur, in complexibus, in magna funiculi umbilicalis brevitate haud difficile ovum ab utero secernatur. Proprios nodos funiculi raro tantum abortus subsequatur, saepius autem ejus distortionem, quibus vasa nimis constringuntur.

III. Abortus causae extra organismum maternum quaerendae.

Nonnunquam abortus et endemios et epidemios fuisse cognitum est. In palustribus et insalubribus regionibus abortum crebriorem videmus quam in peraridis terris, quam ob rem ruri abortum rarius invenias quam in urbe. Saepissime ejus epidemiam existentiam observaverunt et frigore hiemis praegelido et coeli temperie assidue frigida et humida vel permagno calore temporis aestivi, saepe in gruentibus tempestatibus, in bello atque alibi, quod optime docetur annis 1696, 1778 et 1779, porro violenta Francici regni conversione etc.

Maximi momenti in abortu sunt labores corporis et conquassationes, plerumque proficiscentes ex currendo, saliendo, saltando, abdomine constringendo assiduo vomitu, tussi, vomituritione, singultu, sternutamento, desidendi cupiditate et vesica exoneranda, gravibus oneribus extollendis, intemperanter coëundo per graviditatem, plagis vel ictibus in ab

lomen; deinde causae, quibus irritabilitas vasorum systematis nimis augetur, quam ob rem nimis virida et alacris actio ejus efficitur. Huc pertinet usus ciborum excitantium et potionum, usura conalefacientium abortivorum et purgantium, aestus corporis post perfrictionem, balnea calida, positiva tiam electricitas. Inter externa momenta ea etiam numeranda puto, quae contundunt et infringunt irritabilitatem et reproductionem reprimunt, veluti mania, syphilis, rachitis, hysteria, epilepsia, convulsiones, deliquia animi, continuae vigiliae, habitatio in humidis domibus, occupationes, quibus tractandis iracundae humoribus se offerunt, alimenti inopia, jejunium, abusus malorum alimentorum, habitanda angusta conclavia.

Quomodo major pars causarum efficax sit, tantum ex eo intelligi potest, quod potissimum gravitatis actionem et perfectionem in materno organismo vel quominus ovum se excolat, impediat; immo vero uterus hac ratione partum suscipiat et partum emittat.

Quod sequitur ex abortu, de eo sic habe. Abortus semper periculosus vel valetudini inimicissimus putandus est, praesertim quum primo graviditatis tempore existat, partim propter violentam haemorrhagiam et alias cum ea connexas turbationes, partim propter uteri contractiones cum labore ac gravibus doloribus conjunctas; praecipue quod praedispositionem reddit ad recentem abortum, qui crebro gravissimus, interdum haud sanari potest. Ceterum haemorrhagia eo est deterior, quo saepius

gravida abortum passa et debilitata est, quo prior fit abortus, quo fortius causa agit, quo diutius ovum vel reliquiae ejus praecipue primo graviditatis tempore in utero remanent et illius normalem contractionem reprimunt, qua omissa nunquam haemorrhagia omnino sisti poterit. Nonnulli praeterea morbi abortum deteriorem reddere videmus, qui haud raro cum abortu vel ab eo effecti apparent: febrem biliosam, typhum, menses perturbatos, hysteriam, perpetuam corporis infirmitatem, leucorrhoeam, scirrhum, carcinoma et uteri polypos, cachexiam, phthisin, tabem ex abortu exorta saepe animadvertunt.

ABORTUS DIAGNOSIS.

Abortus diagnosis non levior est habenda leviusque tractanda, praesertim quum primis mensibus fieri possit, ut abortum plane non perspicias eumque simplicem sanguinis effusionem esse persuasum habeas. Quam ob causam sanguis ex utero effusus semper diligentissime tractandus est, id quod medicinae forensi utilissimum videtur. Primum est cognoscendum, quae sint abortus causae. Etsi plurimae quidem per se patent, aut propriis notis indicantur, difficillimum tamen est, quod ex aetiologica, ut hac voce utar, ratione pendet accurate perpendere distincteque demonstrare. Saepe dispositionem ad abortum invenimus, quae in universo corporis statu niti videtur, et muliere externam causam nullam offerente, abortum ex interna dispositione prodire accipimus. Saepius vero interna dis-

positio quaecvis abesse videtur et mulier ipsa exter-
nam vim causam esse contendit, ut hac vitata in
alia graviditate et abortum ipsum vitare nobis vi-
deamur. Eventus tamen ut utriusque rei contrarium
probet, facile fieri potest. Facilis autem tum erit
diagnosis, quando organicae anomaliae in maternis
genitalibus exstant atque mater dynamicis morbis ut
convulsionibus laborat, unde regularis graviditatis
progressus impediatur.

ABORTUS PROGNOSIS.

Quod attinet ad abortus prognosin, jam Hip-
ocrates abortum periculosiorem esse cognovit
quam partum, quod quidem recentiores auctores ne-
scire velint, sed immerito, rati quidem partum im-
maturi foetus tantum parvum ambitum habentis pa-
rituram in minus discrimen et periculum adducere
quam partum majoris et jam perfectioris foetus.
Saepem feminas abortu defungi animadvertimus, quem
tamen nulli morbi subsequuntur, quod tum potissi-
mum accidere solet, quum abortus ex recentioribus
causis exoritur, quae jam diu antea in corpore fuere
non effecere, et praesertim quum mors foetus ei emit-
tendo diutius antecepisset. Casu quodam adductus
abortus et majores et graviores dolores commovet et
tolerare possumus, feminam in periculum eo majus
vocari et eo graviolem dolorem sustinere, quo lon-
ge progressa sit graviditas. Quo saepius horri-
laciones antecedunt abortum, praecipue primis
graviditatis mensibus, quoque longius durant, eo
periculosius ille consequitur. Tertio mense facillime pro-

dit; tum saepe ovum plane integrum neque divisum membranis abscedit; alias membrana sola decidua utero restat, ex quo tamen mox parvis particulis ejicitur. Paulo post non eodem sese habet res modo, nam fructus una cum liquore distractorum amniorum in vaginam labitur; interdum ipse funiculus umbilicalis evellitur, posteaque hebdomadibus vel ipsis mensibus praeteritis magnis cum doloribus multoque sanguine effuso e corpore ejicitur. Quae mulier jam abortavit, facillime iterum abortat. Exstant enim exempla, quae plane probant, puellas, quae aliquo modo abortum commoverint indeque graviditatem oppresserint, postea cum viro aliquo ex legibus tam civilibus quam ecclesiasticis conjunctas, quum facinoris illius maxime eas poeniteret semper abortasse, neque unquam materno gaudii legitimo frui potuisse, quod illegitimum non voluerint.

Abortus, qui celeriter accidit plethorae efficitur, non eodem periculo fungitur, dummodo justo tempore sanguis provocetur, quo is, qui febrim consequitur, praecipue si febris est intermittens. Quia abortus rigiditate, cicatricibus, morbis uteri efficitur, plerumque impediri nequit; ille tamen nunquam neque ullo modo, quem externa aliqua causa vehementer provocavit, nimisque perturbavit tum totum organismum, tum inter ovum atque uterum connexum, nisi causa citissime removetur, si verus amnii liquor exiit, si foetus vel mortuus est, vel ex laborat morbo, qui nutritionem interrumpat.

CURA.

Cura abortus ad diversas notas referenda est.

I. Ejus est feminae abortus curandus, quae jam abortavit.

II. Abortus jam apparens impediendus est, et ubi hoc fieri nequit, pericula sunt tollenda, quae cum injusto fructus abscessu conjuncta sunt.

III. Abortus nova in graviditate, antequam ipse accidat, praecavendus.

I. Gravidam omnino et animi et corporis motus vitare jube; horizontalem vero corporis et tranquillam posituram impera, quae si necessaria videatur, etiam supra id tempus asservanda est, quod priores abortus accidere soliti sunt. Praeterea aliquantum temporis coitu se abstineat eo maxime tempore, quo menses in graviditate accidere solent, et per totum mensem, quo antea abortus factus est; cum quamlibet abdominis compressionem evitet, sicut quamque occasionem, qua animus valde moveatur. Magnam probet continentiam in victu cultuque; nec tristitiae neque gaudio valde se dedat, et ut nervi omnes recta fruantur actione, caveat, ne perfrigescat aut madefiat, aut humida domo aut aëre immundo habitet. Si gravida facile irritatur magnaeque abundat sanguinis copia, cibi potusque inflammantes vitandi sunt, dum mite nutrientes e plantis parati cibi et refrigerantia remedia locum habent, praeter ceteris pulvis aërophorus, saturat. e Kali aut Natro carbon. c. succo citri aut aceto vini, portiones quoque narcoticorum parvae tepidaque balnea.

Quum multae res sanguinem inflammatum esse et magnam ejus copiam in uterum congeri declarent, multi medici venaesectione semper praecaveri abortum contenderunt. Etsi vero saepe hoc remedium probatum est, tamen huc quoque ultra rationis fines processerunt. Ut exemplum unum afferam, ubi vires deficientes vel nimia infirmitas abortum efficiunt, ibi fieri non poterit, ut illud adhibeas. Methodus, quae incitans et roborans dicitur, qua multi superioris temporis medici utebantur, ut infirmitatem corporis tollerent, plane est repudianda neque amplius nostratibus placet. Semper tamen in topicis inflammationibus, uti pneumonia, peritonitide, enteritide, cystitide, non modo venaesectio, sed etiam totus antiphlogisticus apparatus vehementer commendandus est. Febres, quae gravidas tenent, ex uniuscujusque ingenio curantur. Febris vero intermittens primis graviditatis mensibus fere semper abortum producit, nisi febris mox tollitur. Abortu magna corporis infirmitate effecto, quae tamen cum illa per plethoram adducta infirmitate commiscenda non est, prae ceteris haec remedia locum suum habebunt: herba Trifol. fibr., folia Aurant., rad. Gent. rub., lign. Quassiae, extracta amara, Chinin. sulph., cort. Cinnam., Valer., inf. s. extr. Chinae frig. parat. Quodsi credas diaeteticis remediis infirmitatem remove te posse, reponas, quaeso, incitantia et roborantia.

Ubi abortus ea corporis infirmitate provocatur, quae ad corporis immaturitatem et imperfectam conformationem referenda est, in altera graviditate ab-

abortus periculum difficillime tollitur, quod ars nostra haud multum contra hanc infirmitatem valet. Ejusmodi mulieres abortu facto corporibus otium praebeant, longumque per tempus coitu et graviditate se abstineant necesse est, usque dum corpora quantum par est robur et firmitatem consecuta sint. Quando causa abortus est irregularis uteri positio, quam citissime hanc tolle, si omnino tolli potest; in uteri morbi auctores exstiterunt, medicus irritamentum quodvis vitare debet, quod puerperae dolores augere possint, ut graviditatis processus cursum suum teneat. In uteri prolapsu etsi imperfecto pud infirmas feminas jam secundo vel tertio mense abortus accidit, dum gravida de doloribus in cruce trahentibus et pressione ad genitalia queritur. Commendetur statim tranquilla positura horizontalis elato codice et portetur spongia tenuis in vaginam, qua uterus sustentetur.

II. Quum abortus prohiberi non possit, minime pericula eum subsequenda quam optime removenda et superanda sunt. Emissio igitur ovi et fetus naturae ipsi concedenda est et primis graviditatis mensibus praecipue id spectandum, ut ovum totum et integrum decedat, ut tali modo uterus plane se contrahat et haemorrhagiae reprimantur. Nisi in gravibus haemorrhagiis ovum prius non exsolvendum atque absumendum est, aut arte partus juvandus. Alias quoque complures voluerunt ut fetus emissio festinaretur, ideoque veteres medici reposuerunt emmenagoga et aristolochiam adhibenda esse, pariter ac ea remedia, quibus per par-

tum normali tempore uti solemus, sicut secale cornutum et inter graves dolores Opium. Sed quod magnopere dolendum, haec remedia plerumque perniciose cognita sunt, quam ob rem naturae potius abortum concedendum esse censemus. In abortu ipso orificio uteri paululum modo aperto et liquoribus nondum effusis neque ovo vel foetu mortuo fore, ut fructus integer conservetur, interdum sperare licet. Nil praeter animi et corporis tranquillitatem et posituram horizontalem adhibendum. Ubi abortus causa sita est in magna vasorum actione gravida constitutionis plethoricae et irritabilis, facies rubra atque incensa, pulsus plenus atque durus indicata est methodus antiphlogistica. Cum venae sectione conjungantur salia neutra refrigerantia, nitrum, tartarus dep., emulsiones. Foetu inter priorem aliquam graviditatem matris debilitate emortuo medicus det operam, ut foetum roborando materni corpore servet. Mulierum, quae hac de causa abortare solent, ab iterato abortu tutandarum difficultas est maxima. Ibi optime lenibus remediis roborantibus utendum est, inter quae infuso cort. Cinnam. Meliss., Menthae pip. et opio, intrantibus animi deliquiis liquore anodyno, naphtha, liq. ammon. succ. Nec minus quies permagna jubenda, gravidae diu jus carneum et magno potus appetitu acid. Hall. i. decoct. Glyc. Abdomen calidis pannis tegendum sanguinis effluvium inhibendum frigidis cataplasmatibus et injectionibus, quod quidem a compluribus medicis repudiatum, exigua acidorum mineralium dosi, minime autem his remediis, quae uterum a

majores contractiones stimulant. Quum sumendum
 est, ovum a superiore uteri parte esse revulsum et
 profluentem sanguinem ad solvendam inferiorem
 partem adjuturum, hoc in loco adstringentia, ut ra-
 dix Ratanhae, sunt adhibenda. Mulieres si sensibi-
 les sunt atque debiles, si symptomata spastica ner-
 vosaque existunt, dentur antispasmodica, Inf. Cha-
 nomill., Castoreum, Opium, Ipecac. in parvis dosibus,
 Valer., Liq. c. c. succ., commendenturque unguenta
 cum Opio, Bellad., Hyosc. Quae remedia nonnun-
 quam efficacissima sunt, saepius autem vim plane
 nullam videmus. Abortu cum febrili excitatione
 conjuncto administranda tranquillitas, frigidi potus,
 mollientia, potio Riv., emuls. ex Oleo pap. s.
 mygdal., pulv. aëroph., parvae doses Ipecac., ext.
 Hyosc., Tart. stib. in refr. dosi. Venaesectio, ni-
 rum etc. quod jam supra dictum, tantum plethori-
 is. Majoribus autem sanguinis profluviis et sym-
 tomatibus spasticis ventrem graviter affectum anim-
 advertimus, cujus signum sunt dolores in regione
 epigastica, et vomitus vehemens viridis cujusdam
 materiae. Contra quem spasticum dolorem cum
 vomitu non sine prospero eventu adhibebis tinct.
 Opii c. aeth. acet., Moschum, Camphoram, olea ae-
 therea, tinct. Guajaci volatilis. Animi vero deli-
 quii ad molestias gastricas accedentibus imperanda
 oborantia et excitantia sine Opio, praecipue tinct.
 Cinnam., ol. Menth pip., aetheres. Si autem abor-
 us vi aliqua externa commotus est, nihil aliud no-
 bis est faciendum, quam causa nocens citissime
 removenda et actio reprimenda. Abortum etiam si

tali modo praecavere non possumus, tamen nobis evenit, ut complicationes tollamus. Qui abortus foetus vitio debentur, in his quoque nihil aliud nobis superest, quam ut casibus actui ipsi subjunctis occurramus. Abortu perfecto maximam quietem in lecto commendes, removeas quamlibet animi corporisque excitationem atque exigua mollemque dietam praescribas. Abortum haemorrhagia prosequente, quae magnam affert debilitatem, dandi sunt cibi non-nihil corroborantes, jus carneum, vini aliquid, praecipue autem acid. phosphor. et chinin. Aegrotas si neglexerit haec praecepta, facillime longe durantes metrorrhagiae, leucorrhoea, uteri prolapsus, chlorosis, hydrops, typhus, hysteria, convulsiones, epilepsia, praedispositio ad abortum, infertilitas exoriuntur.

III. Tertia indicatio saepissime momenti est maximi ad praecavendum novum abortum. Ante intransientem novam graviditatem omnibus rebus est occurrendum, quae iterum abortum provocare possint. Itaque mulieribus iterum atque iterum suadendum est, ut ne amor indulgeant, omnemque conceptionis occasionem evitent. Aegrotas se abstinere omnium excitantium ciborum atque potuum et animi affectuum. Si debilitas corporis abortum effecit, danda sunt roborantia, herb. trifol. fibrin., fol. Aurant., rad. Gent., lign. Quassiae, cort. Aurant., Cinnamon. et Chinae. Hufeland praesertim balnea martialia commendavit, quae praedispositionem ad abortum efficaciter reprimunt. Si contra menses turbati, prolapsus uteri, polypi, scirrhus, leucorrhoea

participes erant abortus, id potissimum spectandum est, ut tollantur, priusquam iterum concipiatur. Nihilis magna pelvis quando causa erat abortus, facillime postea abortus existere potest; tum nonnulli volebant medici uterum a spongia in vaginam inducta retineri.

Quantumcunque e medicinae forensis ratione de abortu dici potest, equidem me plane abstineo, quia id ipsum, quod Burdach, vir clarissimus, ac de re sentio. Ille enim intercedentem inter parentes et liberos rationem rectissime ita descripsit: »Qua juris conditione parentes et liberi inter se fruuntur, tam ex parte materiali quam ex ideali perspiciendum est. Sensum si materialem sequimur, infans existit parentum creatura, nam illorum conformantibus viribus procreatus, curis studiisque inger conservatus, facultatibus opibusque instructus, rebus quibusvis necessariis exornatus, propria est parentum res, quae a nullo in disceptationem vocari potest, quam ob causam suo jure utuntur parentes, fructum quæstum ex infantibus capiunt. Sed altera ex parte sunt qui generant nil nisi humanitatis organa, ita dicere liceat; non ipsi illi pullos procreant, sed genus, quod sequuntur ducens, efficax est per se; procreatio ideo generis est, et cum ipsum quod est generis notionem reddere debeat, jura eadem, quibus cetera omnia membra fruuntur, sibi vindicat, tam sui liberi arbitrii semen, etsi non est evolutum, maximi habeatur, postulat. Sic vero parentes modo sunt humanitatem se ipsam explicantem adjuvantes, natura autem, quae eos creavit, ita instru-

xit, ut ex genere colendo summam hauriant voluptatem, quia id vinculum solum, quod singularem hominem cum universo omnium hominum complexu consociat, eum ex miseris angustiis ad elevationem evehit vitam. Hoc igitur sensu amor, voluptas, generatio, vita familiaris, gaudium liberis benefacere, ingenia continuo exulta persequi, gratias immortales agere, omnia haec capient gravissimi momenti aliquid et optime inter se cohaerebunt.^{cc}

V I T A.

Franciscus Hermannus Marggraff, Francisci, privatae scholae directoris, et Eleonorae eunte Engel filius, natus sum Berolini anni hujus saeculi XIX. Fidem profiteor evangelicam. Parentibus optimis superstitibus pio gratoque erga summum numen animo gaudeo. Litterarum elementis in mei patris schola instructus, autumnno MDCCCXXXIII gymnasium adii coloniense et a Cel. August receptus sum. Tempore aschali a. MDCCCXXXIX superato abiturientium examine, a rectore magnifico Ill. Mueller inter cives academicos receptus et a Decano maxime spectabili Ill. Schultze medicinae studiosis adscriptus, hisce interfui actionibus:

Ill. Trendelenburg de logice, Ill. Lachmann de Catullo et Tibullo, Exp. Isensee de anthropologiae psychologiae elementis, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Kunth de botanice, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. Mitscherlich de chemia, Cel. Magnus de physice, Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, Ill. Mueller de anatomia universa, organorum sensuum, physiologia, Ill. Schlemm de osteologia, planchnologia, Cel. Mitscherlich de materia medica, K. Schoenlein de pathologia et therapia, Ill. Juengen de chirurgia, Ill. Wagner de medicina forensi.

Praeterea me docuerunt artem cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm, operationes ophthalmicas Exp. Angelstein.

Tempore verno anni MDCCCXLI. civibus universitatis literariae Ruperto-Carolinae adscriptus, audiui Ill. Aegelé artem obstetriciam, Ill. Chelius oculi morbos, Exp. Posselt infantilis aetatis morbos exponen-

tem. Praeterea scholis clinicis medicis Ill. Puchelt, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Chelius, obstetriciis Ill. Naegelé interfui.

Eodem tempore anni sequentis Berolinum redii et frequentavi clinicum medicum Ill. Schoenlein, chirurgica et ophthalmiatrica Ill. Juengken et Ill. Dieffenbach, obstetricium Ill. Busch, medico-chirurgicum Cel. Truestedt, policlinicum Cel. Romberg.

Ex mense Octobri ejusdem anni in cohorte quarta legionis imperatoris Alexandri chirurgi militaris munere fungor, duce Cl. Richter, ut reipublicae legibus satisfaciam.

Quibus omnibus viris egregiis, optime de me meritis, quas possum, maximas ago gratias, easque semper habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso rite superato, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Instrumentorum usus in partu difficili saepissime supervacaneus.
 2. Partus praematurus sectioni caesareae et perforationi foetus est praeferendus.
 3. Generatio aequivoca exstat.
 4. Hydrocele tutissime incisione curatur.
-

NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS

LOST ON

SEVERAL PAGES)